



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 113. Græci ex Justiniani fuga animis fracti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CXIII.

Sæcul. XV.
A.C.1453.*Græci ex Justiniani fuga animis
fracti.*

Milites, cum Justiniani fuga turbati, suoque Duce in ultimo rerum articulo destituti versarentur, unice in id, quo propriæ suæ salutis prospicerent, intenti erant. Ex adverso Turcæ fati hujus opportunitate usi, suorumque sociorum jam in propugnaculis dimicantium constantia animati, toto agmine dejectorum murorum ruinas, ipsaque moenia transcendunt; unde Janissari modico temporis intervallo omnes urbis Regiones, quas Mahometes oppugnabat, & Justinianus tuendas susceperat, expugnarunt. Mox Ottomanorum Vexillum erigitur, & omnibus altum conclamantibus, *Victoria, Victoria, urbs est nostra!* tanto terrore concutiuntur Græci, ut abjectis armis, per vallorum fastigia sese præcipientes agerent, ceteris urbis incolis per portas interioris ambitus fugam arripientibus. Ast fugitivi, cum illos Turcæ presso pede insequerentur, ita sese invicem compresserunt, tamque promiscua cæde perierunt, ut ea ex parte urbis portas brevi obstruerent eorum cadavera; nam toto studio concurrentes, mutua

A a 2

colli-

Sæcul. XV. collisione præcipites acti, qua prostrati,
 A. C. 1453. qua compressi misere occubuerunt.

§. CXIV.

*Constantinus Imperator in prælio
 occisus.*

Ducas c. 39. **N**ihilominus Constantinus Imperator,
Phranz. l. 3. Theophilo Palæologo, Francisco Com-
c. 18. mnenno, Demetrio Cantacuzeno, Joanne
Naucley. ge- a Dalmatia, aliisque pluribus stipatus, in-
ner. 49. p. 478 tra duo murorum septa extremos, licet
Sagredo irritos, adhibuit conatus, ut Turcas per
in Mahom. II moeniorum ruinas rapidi fluminis instar
Chalcond. l. 8 irrumpentes retunderet. Jam vigesimo
 insultu in medias Barbarorum phalanges,
 stricto ense irruit; sed nimia hostium
 turba oppressus, ac secundum tempora
 cæsim, femurque punctim saucius obiit,
 gladio tamen in manu retento.

Chalcondyles refert, Imperatorem ex
 vulnere in humero accepto expirasse: Leo-
 nardus vero ait, ipsum, cum rem despe-
 ratam cerneret, ac vivus in manus infi-
 delium incidere pertimesceret, flebili vo-
 ce exclamasse: *Ergo Christianorum nullus
 accurrit, qui me proprio ense confodiat,
 ne Cæsaris Majestas Turcarum irrisui ac
 ludibrio exponatur.* Verum hæc a Con-
 stantino potius ideo dicta fuisse, obser-
 vat præfatus Scriptor, ut vel suos peri-
 culi, quocum luctabatur, acerbitate in
 hostem